Edit. I

SECTIO I,

continens

PROOEMIVM

de prima origine & fundatione monasterii S. NAZARII *Laurishamensis.*

MOnasterium hoc *Lauresham*, ut scriptum reperitur in ueteribus diplomatis plusquam sexcentis, iam inde a prima eius fundatione annis, & sequenti aeuo Carolino datis: & apud *Luitprandum*, atque in *Annalibus* a *Pithoeo* editis *Lauresheim*, apud *Othonem* uero *Frisingensem* & alios *Laureacense* (distinctum tamen ab altero Laureacensi coenobio in Wirtenbergia ad Remsam amnem sito, quod uulgo *Laureacum*, *Lorchense*, seu *Lorch* nuncupatur) a *Trithemio* passim *Laurissense* & *Laurissa*, uulgari appellatione *Lorsch* dictum, quatuor ab Heidelberga miliaribus distans, antiquissimum & in tota olim Germania famosissimum, situm in pago Rhenensi, in Comitatu olim *Gebehardi* Comitis, *Burchardi* Aduocati, primitus in insula quadam, *Aldenmunster* nominata, super fluuium *Wisgotz* (qui nunc *Weschnitz* dictus, in Ottonica silua iuxta oppidum Weinheim, a faucibus montium erumpens in planitiem effunditur, & pagum Rhenensem pertransiens, apud *Stein*, uillam infra Wormatiam, Rheno miscetur) a sacello quodam in *D. Petri*, Apostolorum principis, aliorumque caelitum *honorem ibidem ab Illustri quodam *Cancrone*, Rhenensis illius pagi Comite, qui sub *Pippino I* circa Wormatiam & Heidelbergam longe lateque regnasse legitur, *Ruperti* filio, *Adelhelmi* nepote, eiusque matre *Williswinda*, religiosa Deoque acceptabili matrona, dicti *Ruperti* Comitis relicta, *Adelhelmi* Comitis filia, fundato, initium sumsisse legitur: qui piissimi fundatores, cogitantes quomodo ad maiorem Dei gloriam hunc ipsum locum celebriorem redderent, diuino spiritu induti, in monasterium seruorum Dei eundem erigere statuerunt: sed quia minus id per se poterant, uenerabili *Rutgango* Metensis ecclesiae Antistiti, consanguineo suo, uita & conuersatione sancto & deuoto, id ipsum commendarunt, locumque ad monasterium ibidem construendum, & monasticae professionis regulam inibi instituendam tra liderunt ac commendarunt, nullius alterius Episcopii seu cuiuslibet iuri aut dominio eundem subiicientes, quod factum est anno ab incarnatione Domini Saluatoris nostri Iesu Christi DCCLXIV, temporibus *Pauli* Pontificis Max. ac *Pipini* Francorum Regis gloriosissimi, anno regni eius duodecimo.

Monasterium Lauresham uarie scribitur ac effertur.

situm fuit in pago Rhenensi.

* pag. 2

fundatur a Comite Cancrone, eiusque matre.

II Verum ut piissimi fundatores praenominati desiderii sui promptiorem sortirentur effectum, famulorum Dei, qui illic congregandi & adunandi erant, prouidentes commodis, pro animarum suarum remedio ac salute, ad eundem locum bona non pauca contulerunt, quorum emolumento uiuerent, qui altari aliisque diuinis officiis in eodem deseruirent. Et in primis quidem ecclesiam in *Scarra*, cum suis appenditiis, praedium quoddam in Moguntia, uillam quoque *Hagenheim* supra fluuium *Salusiam* in pago Wormatiensi cum omni integritate sua, in agris, uineis, hortis, pratis, pascuis, siluis, cultis, incultis, atque colendis, uiis atque inuiis, in possessionem monasterii futuri contulerunt. Villam item *Birstat*, cum suis attinentiis, tam in terris quam siluis, campis, pratis, pascuis, aquis, aquarumue *decursibus, omnia & ex omnibus totum & ad integrum, ad dictum locum idem postmodum *Cancor* Comes cum *Angila* uxore sua donauit ac tradidit, ut ex donationum litteris infra in *Rutgango* & *Gundelando* Abbatibus descriptis euidenter patet.

Ab eisdem dotatur.

* pag. 3

III His itaque constitutis Reuerendus Pontifex *Rutgangus* uotum & petitionem Comitis *Cancronis*, eiusque matris, uenerabilis Dominae *Williswindae* gratanter amplexus, prout erat uir deuotus ac Deum timens, opus illud

Construitur opera Rutgangi.

illud fortiter aggressus est, locumque praedictum in monasterium erigere quantocius procurauit, locosque ac mansiones pro fratribus iuxta *D. Benedicti* regulam conuenientes, prout loci capacitas permittebat, dispositi, ac fratres maturae aetatis & consilii uiros, Dominique timentes, *Reginfridum* scilicet & *Vluinum*, cum aliis quatuordecim a Gortziensi monasterio in Lotharingia, quod ipse iampridem quoque construxerat, eo direxit, cuncta necessaria tam in alimentis, quam in ceteris subsidiis eis impartiens. Edit. I

qui dein fratres e Görziensi coenobio in id adducit.

Reliquias iisdem

IV Vt autem hanc Laurishamensem & alias quoque duas a se nouiter constructas monasteriorum ecclesias, *Hilariensem* uidelicet & *Gortziensem*, Deo omnipotenti iuxta morem dedicaret, missis Romam ad Apostolicam sedem legatis, pro cuius liberatione ab oppressione *Haistulfi* Longobardorum Regis multa instantia iam dudum laborauerat, a *Paulo* Pontifice Sanctorum quorundam corpora, in quorum honore easdem ecclesias consecraret, expetiit: cuius deuotionem ac meritum erga Romanam ecclesiam Pontifex debito fauore prosequens, eidem sacratissima Sanctorum *Nazarii*, *Naboris*, & *Gorgonii*, Christi martyrum, pignora per *Willibarium* Sedunensem Episcopum ad Gortziense monasterium delata transmisit. qui uenerabilis Episcopus euoluto anni circulo *S. Gorgonio* in Gortziensi ecclesia relicto, in Hilariensi basilica *S. Naborem* collocauit; beatum *uero *Nazarium* ad Laurishamense hoc monasterium destinauit. In cuius occursum tota simul prouincia, plebsque utriusque sexus, iuuenes ac uirgines, senes cum iunioribus, usque ad saltum, qui *Vosagus* dicitur, certatim irruerunt, Comitesque nobilissimi *Cancor* & *Warinus*, ceterique id locorum illustres & spectabiles uiri, thesaurum beatissimi corporis, sibi diuinitus destinatum, propriis humeris excipientes, cum hymnis & canticis prosequente monachorum ac populi infinita multitudine, usque ad monasterium detulerunt, immolatoque pretiosissimo redemptionis nostrae sacrificio, eundem summa cum ueneratione ac reuerentia in locum ipsi singulari industria deputatum ac praeparatum reposuerunt.

S. Nazarii martyris in id transfert. * pag. 4

quod alium dein in locum transfertur & ampliatur.

V Verum quia sinus insulae illius *Aldenmünster*, in qua monasterium existebat, breuis admodum & constrictus, tantae multitudinis receptui & quotidianae frequentiae, quae ibidem esse inceperat, non sufficiebat, neque situs ipse loci monasterio tanti nominis & dignitatis per merita huius sacratissimi martyris *Nazarii*, patroni eius, postmodum futuro non adeo competebat; anxia mente reuoluere coeperunt iidem piissimi fundatores cum uenerabili Abbate, totoque fratrum conuentu, quomodo locum illum pro maiori Dei cultu & honore, fratrumque ibidem Deo famulantium commoditate amplificarent. Diuino igitur numine inuocato, mutuisque consiliis initis, unanimibus tandem uotis & assensibus concluserunt, ut in editiorem locum illum, ubi nunc cerni datur, tam monasterii quam ecclesiae totius fabrica, multo amplianda transferretur: qua conuentione facta, absque mora tam lapidum quam lignorum, aliarumque rerum ad id necessariarum copiam comportantes, totius negotii executionem uenerabili *Rutgango* Praesuli ac Abbati ante dicto iniunxerunt. Verum cum ipse monasterii curam gubernationemque per se exequi ultra non ualeret, utpote & ecclesiasticis ratione Episcopii *sui Metensis, & regalibus negotiis, quoniam Regibus & Principibus charus & acceptus, iugiter occupatus, *Gundelandum* germanum suum, prudentem admodum & sanctae conuersationis uirum, fratrique per omnia similem, eidem loco praefecit, ipsumque monasterium cum omnibus pertinentiis suis, eo tenore, quo sibi a *Cancrone* Comite, ipsius loci fundatore, tradita fuerant, suae dispensationi commendauit. * pag. 5

singulari praecipue Abbati Gundelandi indulgia.

VI Qui *Gundelandus* traditum hunc sibi a fratre locum non ingrato animo susceptit, & ut erat uir deuotus, Deumque timens, morae impatiens, negotiique sibi commissi non immemor, e uestigio monasterium nouum in loco praedicto in Dei nomine aedificare aggressus est, quod & quantocius consummare festinauit, timens, ne si (quod saepius contigisse constat) ipse aut Comes fundator morte praeuentus decederet, opus imperfectum tunc illud aut tardius perficeretur, aut penitus intermitteretur: non enim semper tantus amoris diuini zelus in omnibus ardet, quantum tale negotium requirit. *Cancor* quoque Comes nullis impensis ac sumtibus parcebat, ut incepti

& Cancronis

operis

Edit. I operis promoueretur intentio, quippe qui nihil plus optabat, quam diem illum uiuere ac uidere, quo in nouo hoc coenobio glorioſe a ſe fundato monachorum choros Deum collaudantes, diuinumque redemptionis noſtrae myſterium peragentes tandem cernere poſſet. *liberalitate.*

VII Interea tamen *Rutgangus* reuerendus Antiſtes, ut tam ſancti operis ſe quoque participem faceret, cruces aureas argenteasque & calices in miniſterium diuini cultus, libros quoque & diverſa ornamenta ad decorem domus Domini, quae ut omnia nouerat neceſſaria, transmiſit: qui non multo poſt rebus humanis exemptus ad Dominum felici fine migrauit, uir egregius, meritique incomparabilis, & omnibus praeconiis efferendus. *A Rutgango variis donariis locupletatur.*

VIII Anno igitur dominicae incarnationis DCCLXXVII, ab exordio ſeu fundatione prima ipſius monaſterii anno XIII, regni uero * *Caroli M.* Regis inuictiſſimi, ex quo defuncto fratre ſuo *Carolomanno* monarchia ad eum tranſierat, anno VI, per indefeſſam *Gundelandi* Abbatis diligentiam, & *Cancronis* Comitis impenſas maximas, monaſterium nouum conſummatum atque ad finem usque perductum fuit: cuius ſtructura more antiquorum ſatis pulchra atque ampla fuit, ligneo tabulatu ſuperius cooperta: diſpoſitio uero clauſtri imitatione ueterum ampla quidem, ſed ſimplicioris ſtructurae, talis ſcilicet, quae non ad faſtum, ſed ad deuotionem monaſticam ſatis idonea uidebatur: fratrum quoque habitacula per gyrum clauſtri diſpoſita iuxta conſuetudinem temporis illius ſatis pulchra atque ordinata erant. *Structura perfecta,* * pag. 6

IX Perfecta porro iam templi totius fabrica, & ſicuti domum Dei decebat, omni ſpecie decoris ornata, ut omnia deſideratum conſequerentur effectum, *Gundelandus* Abbas Reuerendiſſimum Archiepiſcopum *Lullum*, *S. Bonifacii* Epiſcopi & martyris in Moguntina ſede ſucceſſorem, adiens, ad conſecrandum novum monaſterium ſuum rogauit, inuitauit, & obtinuit. Vt autem ipſa conſecratio maiori cum ſolemnitate atque pompa fieret, idem Abbas apud Spiram ciuitatem Regem *Carolum*, quem procul dubio maximum huius loci benefactorem, fautorem, ac patronum fore praeſciebat, acceſſit, magnopere ac humiliter deprecans, quatenus conſecrationi ſuae eccleſiae nouiter fundatae ac conſtructae praeſens intereſſe dignaretur. Cui pius Rex, qui in cultu diuino promouendo promptiſſimus, benigne aſſentiens, cum Regina *Hildegarde*, filiisque *Carolo*, *Pippino*, ac *Ludouico*, aliisque plurimis regni Principibus, qui curiam Imperatoris eo tempore ſequebantur, Lauriſſam uenit, ubi praedictus *Lullus*, reuerendiſſimus Moguntinenſis eccleſiae Antiſtes, monaſterium magnifico apparatu & ſumma ueneratione ſub initio Kalendarum Septembrium anni ſcilicet Chriſti DCCLXXVII in honorem ſanctiſſimae Trinitatis, beatorum *Petri* & *Pauli* Apoſtolorum, & *S. Nazarii* martyris glorioſiſſimi conſecrauit; cooperantibus ſibi aliis Epiſcopis *Megingozo*, *Wiomundo*, *Angitrammo*, & *Waldrico*, in praeſentia multorum Principum, Abbatum, & ipſius Comitis *Cancronis* fundatoris. *conſecratur,* *praeſente* Carolo M. *cum familia.* * pag. 7

X Conſecratione autem eccleſiae ſolenniter iuxta morem peracta, idem reuerendiſſimus *Lullus* una cum ceteris Epiſcopis, Abbatibus, & Principibus, corpus ſanctiſſimi martyris *Nazarii* de capella antiqui monaſterii cum magno deuotionis honore allatum in eandem tranſtulit, ac ſub ſummo altari arcae plumbeae incluſum honorifice incluſit. Vbi quanta miracula, quae uirtutum inſignia per ipſius ſancti martyris merita diuinitus effulſerint, quanta pro diverſis morbis, caſibus, miſeriis, anguſtiis, remedia pro ex tunc & deinceps provenerint, integer libellus proſaico metricoque ſtilo ſatis elucubrate de his ab *Adalhero* presbytero ac monacho, dum ſcholis huius loci praefuit (cuius etiam *liber Animarum* ad V Id. April. meminit) compoſitus traditur, qui tamen ad manus noſtras non peruenit. Manſit autem hic tantus reliquiarum theſaurus ita reconditus per annos ferme CCCXXVI, ad annum ſcilicet Chriſti MXC; quo, poſtquam XII Kalend. April. ipſa eccleſia repentino ac miſerabili incendio cum omnibus ornamentis ac tota ſupellectile eccleſiaſtica conflagraſſet, ab *Anshelmo* Abbate eodem in loco, ſcilicet ſub ipſius ſancti martyris ac patroni ara, quo repoſitus fuerat in tumba marmorea arcae plumbeae incluſus, Nonis Iunii ſummo omnium gaudio ac iubilo repertus, ac debita reuerentia eleuatus fuit: uti in *Anshelmo* Abbate fuſius explicabitur. *Ex quo corpus* S. Nazarii *ex aede ueteri in nouam transfertur.*

Edit. I

Inde fortunis ac opibus locus hic creſcit.

XI Quanta uero fidelium erga hunc locum deuotio, quanta oblationum affluentia, quantis munificentiae beneficiis, gratiis ac priuilegiis ſummi Pontifices, Imperatores, Reges, ac Principes eundem proſecuti fuerint, nec lingua proferre, *nec littera exprimere ualet; quae autem ex iis nobis cognita erunt, ſuis in locis demonſtrabimus. Inprimis piiſſimus fundator, ipſe *Cancor* Comes una cum coniuge ſua *Angila* uillam *Birſtat* cum ſuis pertinentiis monaſterio tradidit, ut ſupra dictum, cuius donationis littera infra in *Gundelando* Abbate dabitur. Habuit idem dominus fundator filium *Heimericum*, & fratrem nomine *Turincbertum*. *Turincbertus* uero filium *Ruthertum*; qui omnes etiam dictum locum ſummopere locupletarunt. *Pipinus* etiam Francorum Rex ſumtuoſis aedificiis ac donationibus liberaliſſimis hunc locum auxit & ditauit: quem filius quoque eius *Carolus M.* Romanorum Imperator multis praediis, priuilegiis, & donariis exornauit, uillam *Heppenheim* in Strata montenſi cum omnibus terminis & appendiciis ſuis contulit; uillam itidem *Obbenheim* ſitam in pago Wormatienſi ſuper Rhenum fluvium cum omni integritatis iure tradidit; per quam eccleſiam ipſo conſecrationis die largiſſime dotauit; quibus beneficiis adiecit etiam piſcationis conceſſionem in Rheno flumine in loco *Godenouua* cognominato, infra finem *Hoſtat*, ut Abbas & fratres eius licentiam haberent ad uineam faciendum & ad piſcandum, pro opportunitate eccleſiae & ſtipendio ipſorum fratrum: & ut de ſilua, quae ad illam uillam aſpicit (cum fructuoſa nullatenus eſſe uideretur) uineam faciendi uel emendandi poteſtatem haberent, in quantum eis opus eſſet prendere uel copulare. Item ut in alia marca, quae ad *Virnheim* pertinet, de pago *Lobodenſe*†, usque ad fluuium *Wiſgotz*, uiam integram ad carracandum ſiue itinerandum habere debeant, & ſuper ipſum fluuium contra ipſum uiam faciendam, tam ſuper fluuium *Wiſgotz*, quam & ſuper alios lacus. Cetera quoque multimodis monaſterii utilitatibus opportuna conceſſit, quae ſuis locis inſeremus. Alii etiam Reges, Principes, Comites, Proceres, Ingenui, omniumque ordinum homines per totum *Rheni tractum ad infimam usque Germaniam habitantes, admirabili ſtudio quaſi certatim hunc locum ita locupletarunt, ut cum magno Epiſcopatu uel Principatu conferri merito potuerit. His itaque benefactoribus ac patronis tam uariis ac diuerſis locus iſte indies ſummopere creuit & magnificatus eſt tam in rebus, quam in poſſeſſionibus, & quod maius eſt, in cultu diuino & ſanctae obſeruationis profectu atque dominici gregis incremento, Domino cooperante, & ſanti martyris ſui *Nazarii* patroni merita miraculis ac ſignis innumerabilibus confirmante.

Caroli M. *Imp.*

† *Laudenburg*

aliorumque.

* pag. 8

* pag. 9

Fratrum uero ſanctitate ac doctrina enitescit,

Bibliotheca itidem inſigni,

XII Laus quoque & memoria fratrum hujus loci apud Imperatores, Reges, ac Principes, aliosque Magnates, ſemper magno in pretio fuit non propter uitae ſanctitatem ſolummodo, uerum propter incomparabilem etiam Scripturarum ſcientiam ac doctrinam, quibus prae ceteris eruditi praedicabantur. Vnde nullus in Germania locus fuiſſe praedicatur, ubi uetuſtior quam in hoc monaſterio bibliotheca fuerit, *Münſtero* teſtante, qui ſe exemplar unum manu propria *Virgilii Maronis* conſcriptum inibi uidiſſe ait: inuentumque ibidem fuiſſe aſſerit ultimum librum *Ammiani Marcellini*, omnibus adhuc incognitum, poſtmodum uero publicatum: meliores autem codices inde ad bibliothecam Ladenburgenſem *Ioannem Dalburgicum*, Wormatienſem Antiſtitem, poſtmodum tranſtuliſſe idem refert.

nec non ſepultura plurium Regum, Principum, Procerumque.

XIII Tantus olim iſtius monaſterii, quod ueluti in meditullio regni Francorum poſitum erat, ſplendor ac dignitas fuit, in quo *Ludouicus II*, *Pii* filius, Franciae orientalis, & Boiariae, Germaniaeque Rex, eiusdemque filius *Ludouicus III*, Germanorum Exarchus, ſepeliri uoluerunt, ut de plurimis aliis Ducibus ac Proceribus ibidem tumulatis taceamus. Extant ibidem in hanc usque diem ea Regum monumenta, licet anepigrapha: unum retro altare maius, cui applicatum & contiguum eſt, habens deſcenſum in cryptam, in qua marmor ingens porphyreticum pulcherrimum *minime uulgare ſepulchrum abunde comprobat: alterum in media naui (ut uocatur) templi columellis ſuis impoſitum, nec ineleganti fabrica antiquitatem ſuam referens. Quae quidem duo *Ludouicorum* illorum Regum eſſe uidentur. Eſt ibidem tumu-

* pag. 10

Edit. I tumulatus *Hugo* Dux, *Ludouici III* praefati Regis filius, a Nortmannis anno DCCCLXXIX in proelio caesus, Rheginone testante. Item & Boiariae Dux *Tassilo*, qui male a *Trithemio* & aliis huius coenobii fundator praedicatur, quem *Carolus M.* Imperator iterato rebellantem, & grauiora meritum, anno DCCLXXXVIII cum filio suo *Theodone* tonsum huic monasterio intruserat, ut suo loco dicemus, quod uarii annales referunt, & ipsius monumentum in hodiernam usque lucem ibidem ante aram *D. Nicolai* Episcopi extans sat clare testatur. *Kunigundis* quoque, uxor *Conradi* Regis senioris, in *D. Virginis* sacello ipsius coenobii recondita perhibetur. Multae praeterea aliae illustres ac nobiles personae hocce in loco sepultae monumentis demonstrantur, quorum quaedam, quae nostris temporibus adhuc incorrupta cernuntur, in fine libri apponemus.

Ab ordine Benedictinorum transfertur ad Praemonstratenses.

XIV Atque haec breuiter de exordio, fundatione ac progressu huius celebertimi ac famosissimi quondam monasterii dicta sufficiant: nunc seriem Abbatum eiusdem, & quae sub singulis circa illud memoria digna gesta occurrunt, perstringamus, ab exordio scilicet eiusdem usque ad annum Christi MCCXXXII, quo ab Imperatore *Friderico II* id ipsum ordini Benedictinorum ablatum, in manus aliorum, *Praemonstratensium* scilicet fratrum, datum fuit, & Principatus eius cum omni honore, uasallis, ministerialibus, oppidis, castris, uillis, iuribus, prouentibus, & attinentiis omnibus, quem Abbas eius semper habere consueuerat, *Sifrido* Archiepiscopo & ecclesiae Moguntinae, *Gregorio IX* Romano Pontifice hoc ipsum approbante & confirmante, donatus.

* pag. 11

SECTIO II
ABBATVM
monasterii S. NAZARII *Laurishamensis*
seriem continens,

cum notatione quorundam, quae singuli uel dono acceperunt, uel emptionis aut permutationis titulo bonis monasterii adiecerunt, quaeque in officio constituti ordinarunt; adiunctis uariorum priuilegiorum, immunitatum, donationum, traditionum, & huiusmodi aliorum apographis.

Caput I
RVTGANGVS
Abbas I.

Rutgangus *nobili ortus fuit genere.*

HIc *Rutgangus*: seu ut in diplomate donationis *Cancronis* Comitis scribitur, *Ruotgangus*, ab *Henninge* uero *Grodogandus*, *Chrodogandis*, & *Gudegrannus*, *Odilionis* seu *Vtilionis* Ducis Bauariae & *Hiltrudis Pipini* Regis Franciae sororis filius, *Tassilonis* Bauarorum Ducis, de quo infra suo loco, frater germanus fuit, & iuxta annales Metenses *Ottonis* Imp. consanguineus, Episcopus Metensis, uir pulchritudine corporis ac eloquentia insignis, in diuinis scripturis studiosus & eruditus, nec saecularium litterarum ignarus, uita ac conuersatione uenerabilis.

Monasterium Laureshamauspicatur.

II Huic *Cancor* Comes, ut supra dictum est, una cum matre *Willisuvinda*, tanquam consanguineo suo, monasterium *Laurisheimense*, quod instituere proposuerant, initiandum, perficiendum, ac demum regendum tradiderunt circa annum Domini DCCLXIV. Qui uenerabilis Antistes, desumtis ex Görziensi monasterio in Lotharingia, tribus a Metensi urbe miliaribus